

1177

1994
A
1386





DISPUTATIO SECVNDA,

DE IVRE PERSONARVM, LEGITIMATIONE, ADOPTIONE, VNIONE Prolium, & quibus modis Ius patriæ potestatis soluitur, ex Iure Canonico, Ciuili & Municipali desumpta.

QVAM

Diuinâ fauente Gratiâ.

PRÆSIDIBVS

Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.

D. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, & D. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato, respectiuè Dictatore & Fisco.

In publico Iuridica facultatis apud Vbios Auditorio, defendet

PETRVS COPPERTZ Iuliacensis,
Anno 1629. die 23. Februar.

2.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.



DE IURE PER

DISPUTATIO SECVNDA

SONARVM, LEGI

TIMATIONE, ADOPTIONE, VNIO

ne Pro. tum, & quibus modis las patris pote

Res solunt, ex iure Canonico, Civili

& Municipali delumpta.

GVAM

Divinae facultatis Gratia.

PRAESIDIIS

Christophoro Compositum Virum DD.

D. Petro Ostermanno, J. V. Doctore, &

D. Arnolfo Meissner, J. V. Licentato,

Responsoribus & iudicibus

PETRO GORRATZ, iudice,

Yanone, J. V. Licentato.



COLONIAE AGRIPINAE.

In aedibus Jo. Michaelis, Proprietarii Augustiniani.

DE IURE PER



CONTINUATIO.

Expositis partibus iuris, quæ omnes sunt compositæ hominum causa, incipit Compiler Digestorum considerare tria iuris obiecta, & præcipue tractare de hominum ipsorum iure, siue de statu conditionis cuiusque.

CONCLUSIO PRIMA.

R

Ectè autè trimembri partitione distribuitur Ius ex obiectis, vt aliud sit circa personas, aliud circa res, aliud circa actiones, *l. 1. ff. de stat. hom. §. fin. Inst. de I. N. G. & C.* Priora enim habent iuris nostri theoriam, seu ius absolutum continent; Posterius praxin seu ius relatam, *Harpp. d. sp. 2. thes. 1. lit. A. & sic concordari potest sententia Vult. lib. 1. Iuris. Rom. c. 3. Dissent. Appell. de quo Myrsing. in prin. Inst. de Iur. pers. Aliter Coras. ad l. 1. ff. de stat. hom. & apud eundem ibid.*

2. Personæ quoad naturam primam seu sexum distinguuntur, in mares & fæminas *l. 4. C. de lib. præter. l. 9. ff. de stat. hom.* ad quorum alterum Hermaphroditus siue Androginius refertur *l. 19. ff. de stat. hom.* Eius vero sexus est, qui in eo ad generandum est potentior *l. 14 §. 1. ff. de test. l. 6. §. vlt. ff. de lib. & posth.* In dubio tamen pro masculino habetur, & feudi capax est. *V. Vesenb. parat. ff. de stat. hom. n. 3. Baldus in l. quoties. n. 10. & seqq. C. de legit. hered.* Monstra autem quæ contra formam humani generis procreantur liberi dicendi non sunt, *l. non sunt. ff. de stat. hom.* cum barbarum esset, portentosa quæuis, humanæ faciei, quæ imaginem Dei repræsentat, comparare.

3. Quoad ius naturæ, eadem marium & fæminarum ratio est, quoad ius gentium & ciuile, in aliquibus est melior fæminarum conditio, vt patet *ext. t. ff. ad Senatuscons. Vell.* in aliquibus deterior est. *l. 9 de statu hom.* Vnde à muneribus omnibus publicis remouentur *l. 2. ff. de reg. iur.* Hodie tamen statuto, consuetudine vel priuilegio hæreditariam iurisdictionem exercent: cum enim moribus mulieribus officia publica adempta sint, nihil tam videtur naturale, vsu & more contrario illas ad huiusmodi officia admitti. *l. 2. ff. de reg. Iur.* Sic iure hæreditario administrationem regni accepit Elisabeth Regina Angliæ. *Treutl. part. 1. d. sp. 8. thes. 2. lit. A.* In aliquibus par & eadem amborum est conditio, vt in contractibus, pactis, vltimis voluntatibus, & statutis pœnalibus delicta iuris gentium vindicantibus. *l. 6. §. 2. ff. de Polli. l. 41. ad Senatuscons. Trell. ell. l. 1. §. 1. ff. de legat. præstan. Godd. ad l. 1. ff. de V. S. n. 53. Soarez in thes. comm. opin. verbo Mulieres. n. 251. Viu. lib. 1. comm. opin. n. 238.* quamuis propter circumstantiam sexus, rigorem pœnæ de iure mitigari non diffiteamur *arg. l. 16. ff. de pœn. l. quisquis. ff. ad l. Iul. Maiest. l. 30. §. vlt. & Auth. seq. C. ad l. Iul. de adult. Damhoud. in prax. crim. c. 95. n. 17. Tiraquell. de pœnis caus. 9.*

4. Vnde poenam *l. vn. C. de rapt. virg.* perinde in muliere sponsum suum vel iuuenem rapiente, locum habere merito asserimus; quod licet perraro accidat fortasse, eius tamen exemplum reperitur. *Genes. 39.* in vxore Putipharis, quæ castissimum Patriarcham Iosephum ad illicita coegit & violentiam intulit. Imò *Ang. Aretin. in d. l. vlt.* testatur, se vidisse cremari meretricem Florentiæ, eo quod rapuerat pulchrum iuuenem. *Damboud. in pract. crim. c. 95. n. 17. Menoch. 9. remed. 9. recup. possess. n. 9.*

5. Altera diuisio personarum ex iure desumpta est, qua aliæ dicuntur liberæ, aliæ seruæ. *per l. 22. ff. de reg. Iur.* Et quamuis in iure nostro seruus personam habere non dicatur. *l. 3. ff. Ne quis eum qui in ius voc. &c.* tamen ibi persona non hominem, sed imaginem aut laruam qua ciuis Romanus duntaxat indutus est, denotat; quemadmodum Histriones in scena personas accipiunt cum aut senem, aut adolescentem, aut lenonem agunt. *Vult. i. Iurispr. Rom. c. 8. n. 1. Pet. Fab. in l. 22. ff. de reg. iur.*

6. Seruitus autem est constitutio, quoad originem iuris gentium, quoad proplantationem iuris ciuilibus, *l. 4. §. 1. ff. de stat. hom. & ibi Corras. Conann. lib. 2. Comment. c. 1. n. 4.* Vnde consequitur neminem proprie seruum sine domino suo intelligi *l. 35. ff. de stipul. seru. l. 31. §. 1. ff. de hered. instit. Gouean. in l. 35. ff. de stipul. seru.*

7. Sub seruis comprehenduntur statuliberi. *l. 9. in prin. & l. 29. in pr. ff. de statu liber.* noxæ enim dantur vt serui. *ibid.* & quia sub conditione statutam habent libertatem, quæ conditio antequam existat nihil ponit in esse, sed totum negotium suspendit *l. vni. §. 7. C. de Cad. tollend. Corras. in l. 3. ff. de statu hom. Diff. Cuiac. obs. 37. & in tract. ad African. n. 7. pag. 392. & ad Rubr. C. de Agric. & censit.* Nihilominus tamen sperandæ libertatis prærogatiua vt liberi, non vt serui puniuntur. *l. 14. ff. de quaest. l. 9. §. fin. ff. de pœnis.* Vnde etiam fit quod promittens hominem si soluat statuliberum, ideo non liberetur, quia in plenum stipulatoris hominem non facit, statu libero quippe libertatis casus implicitus esse dicitur *l. fin. ff. si ex nox. caus. agatur. Arum. exerc. 1. thes. 24. Ant. Fab. lib. 2. coniect. c. 7.*

8. Adscriptitios tamen inter seruos non computamus, quia possidere possunt. *l. 4. l. 6. 20. & 21. C. de Agric. & Censit.* quod seruis denegatur *l. 23. §. 1. ff. de acquir. possess.* & licet in quibusdam de conditione seruorum participare videantur, & seruilia officia faciant, tamen essentialiter à seruis differre & seruili nihilominus macula aspersos ait *Bald. in l. summa. n. 2. ff. de stat. hom.* vel ratione domini eos quidem esse seruos, ratione fisci vero aliorumque liberos. *Cuiac. in parat. ad tit. de Agric. & Censit.* Nec tabularios seu Notarios *l. 3. C. de Tabul. Liu. Dec. 5. lib. 3.* Nec Parabolanos qui famulatio Ecclesiarum & hospitalium ita sunt colligati, vt nec ab agrorum seruitio recedendi habeant facultatem. *l. Placet cum seq. C. de Episc. & Cler. Alciat. lib. 4. disp. cap. 9.*

9. Imo

9. Imo hodie seruitutem veram penitus ex Christianismo explosam esse censemus. *distinct. 11. quest. 3. cap. ad mensam.* & licet Germaniam seruos veros nunquam habuisse, testis sit *Corn. Tacit. de morib. Germ.* tamen apud cæteras gentes omnia seruorum quidem erant plenissima, sed ab An. Christi 781. seruitus paulatim minui cœpit, ita vt Anno 1200. in vniuerso terrarum orbe serui amplius non fuerint, vt probat *Bodin. de Rep. lib. 1. c. 6.* Imo in Ecclesijs durarunt seruitutes vsque ad annum 1190. aut circiter, vt colligere licet *ex tit. 9. & 10. extr.* vbi adhuc Alexandri III. Urbani III. Innocentij III. & Gregorij IX. decreta leguntur de Connubio seruorum & prole ex eis suscepta.

10. Nec obsistit, quod adhuc in Muscouia adscriptos glebæ reperiri, author est *Sigism. Baro. in Lituan.* In Polonia *Kmethones. Cromer. lib. 1. de Magistr. Polon.* In VVestphalia proprios homines, *die leibeigne knechte* qui annua varij generis quædam soluunt, pars pullos vel gallinas, pars nummos, pars operas in argumentum seruitutis; & mortuis ijs succeditur aliquando in tertia, aliquando in quarta parte, aliquando iura mortuaria sumuntur, imo hi extra consortium priorum hominum liberos suos elocare nequeunt, nisi hoc ab illis, quibus adstringuntur, impetrauerint. *Vult. in S. serui. Inst. de Iur. pers.*

11. Nam respondetur quod prædicti homines proprij, sunt serui Anonymi, nec Adscriptitij, nec Coloni, nec Capite censi, nec Statu liberi, nec Liberti, de omnium tamen natura participantes; cum eorum conditio melior sit, quam olim Latinorum fuit, *apud Cuiac. lib. 1. Inst. tit. 1. §. 4.* nam licet seruili nota laborent, propria tamen bona possident, in proprijs degunt domibus, de familia domini non censentur, iudicandi munere, dum idonei sunt, funguntur, habere ab intestato hæredes possunt, nisi quod aliquando dominorum curias in Emphiteuses agnoscunt, pro dominis non stipulantur, contrahere cum dominis possunt, & sic secundum plus & minus iuxta consuetudines locorum accedunt & recedunt à conditione seruorum. *Gail. de pignor. obs. 8. n. 2. & seq. Gædd. de contrah. stipul. conclus. 6. c. 7. in fin.*

12. Olim serui vel nascebantur ex ancillis §. 4. *Inst. de Iur. pers.* vel fiebant, idq; aut iure gentium, captiuitate. §. 17. *Inst. de rerum diuis.* quæ iura vetera captiuitatis & seruitutis inter Christianos bellum inuicem gerentes amplius non obtinent. *Apost. Paul. ad Gal. c. 3.* Hinc antiquissima Germaniæ cōsuetudine videmus, quod captiui præstita victori pecunia, in redemptionis præmium, recedendi veniam impetrent. *Alciat. in l. hostes. 118. n. 3. de V. S.* à Turcis autem iuratis fidei hostibus captos, veros adhuc pro tempore seruos effici puto, *Huf. in tract. de hom. prop. c. 1. n. 38. & seqq.* vel fiebant iure ciuili venditione sui ipsius *l. 5. §. 1. ff. de statu hom.* quæ fit odio degeneris animi, qui parua quadam pecuniolæ præda inescatus in voluntariam se conijcit seruitutem. *Coras. ad l. 5.*

13. Sunt & alij præterea modi quibus liberi efficiuntur serui: vt si filius-familias tempore necessitatis famis à patre distractus sit *l. 2. C. de patr. qui fil. suos distr.* deinde cum libertus ob ingratiudinem à patrono vocatur in seruitutem. §. 1. *Inst. de Capite minut.* Tertio cum mulier seruili amore bacchata per Senatusconsultum Claudianum statum suum amittebat §. 1. *Inst. de success. sublat.*

14. Et hi omnes serui non natura, vt putat Aristoteles perperam. 1. *Polit.* 3. sed iure gentium vel ciuili, non tantum operarum præstatione & rerum acquisitione; sed & vitæ & necis arbitrio olim adstricti erant. §. 1. *Inst. de his qui sui vel alien. &c.* Vnde *Genes. 16. vers. 6.* Abraham ad Saram inquit, Ancilla tua in manu tua est; vtere illa vt libet. & Quintus Flaminius in gratiam Cynædi, seruum in medio conuiuio peremit, quem tamen Cato non nisi honore senatorio mulctauit, cum is putaret sibi magnam factam iniuriam *Plutarch. in Flammin.* Vidius Pollio ad piscinam murænarum seruum damnauit, ob vnum vitrum ChrySTALLINUM fractum. *Sen. lib. 3. de Ira, c. 40.*

15. Sed hæc omnia per D. Antonini constitutionem correctæ sunt, ita vt occidens seruum proprium, non minus puniatur, quàm occidens liberum hominem, criminali scilicet iudicio, *l. 1. iuncta gloss. in verbo Hominem ff. ad l. Cornel. de sicar.* Ex eadem constitutione D. Antonini serui nimis duriter tractati à dominis conuolare poterant ad ædes sacras & statuas Principum, vbi cogebantur domini, causa cognita, illos bonis conditionibus vendere. §. *sed maior. ibiq. gloss. Inst. de his qui sui vel alien. iur.*

16. Cum hac seruorum ad ædes sacras conuolatione affinitatem magnã habent delinquentes & rei criminum hodierni, qui confugientes ad Ecclesias vel loca sacra, propter delicta quantumuis grauia commissa, ibi tuti & immunes sunt, ita vt à seculari Magistratu extrahi, nec inde ad mortem damnari debeant, sed Rectores Ecclesiæ obtinent ipsis vitam, alias tamen pecuniariter vel relegatione puniri possunt. *Cap. inter alia. de Immunitate Ecclesiar.* nisi in ipsa Ecclesia deliquerit, aut publicus latro, vel nocturnus depopulator agrorum fuerit. *d. cap. quod idem in illis obtinet,* qui debitorum suppressionis causa ad Ecclesias se conferunt, exinde enim realiter citari non possunt, excepto Iudæo. *l. 1. & 2. C. de his qui ad Eccles. confug.*

17. Item huic plane simile est, quod vxor nimium duriter tractata à marito, instar seruæ, non obstante cautionis remedio, quod hoc in casu fragile est. §. *pen. Inst. de susp. tut.* iustè diuortium petere possit. *Cap. transmissa. ibiq. Panormit. extra de Restitut. spoliat.*

18. Et occasione prædicti D. Antonini Constitutionis, quærunque hîc DD. Vtrum Principi concessum sit alienare subditos suos, inuitos in potentiorum dominum. Pro parte Negatiua faciunt, quòd vt pater bona aduentitia filiorum & propria alienare nequit *l. 1. C. de bon. matern.* Ita nec

nec Princeps qui pater Reipubl. Romanæ dicitur *Nou. 89. Cap. fin. in fin.* Et quemadmodum vasalli prohibentur alienare feuda inuitis dominis. *tit. 52. & 55. lib. 2. feud.* ita etiam domini proprietatem alienare nequeunt non consentientibus vasallis *tit. 6. lib. 2. feud. in fin.* Pro parte affirmatiua faciunt notata: *Menoch. consil. 626. n. 2. & 3.* Nos cum Menochio consentiemus, nec Principis innatæ libertati derogabimus, cum quilibet sit rerum suarum moderator & arbiter *l. in re mandat. C. mandati.* nec obstant prædicta, cū à disparatis malè inferatur, & omnis similitudo claudicet. Quod tamen non procedit, si alienatio subditis dissentientibus magnum præiudicium adferret, vel euidens domini alienantis calumnia (quæ in dubio non præsumitur) appareret.

19. Huc quoque reduci posset illa quæstio. Vtrum Princeps pro filia sua maritanda subditis collectas imponere possit. Pro parte Affirmatiua faciunt, Quod tributa præstare probatio subiectionis est. *cap. omnis. 10. de Censibus;* & impossibile est sacris tributis non illatis Rempub. conseruari *N. 149. cap. ac sane. Rosenthal de feud. c. 5. conclus. 77. Schrad. de feud. p. 10. sect. 1. n. 21.* Dissent. *Vasq. l. b. 1. illust. contr. cap. 7. n. 3. & seqq. Boer. decis. 126. n. 6.* quorū sententia quia communi vsui Principum totius Germaniæ repugnat, non videtur posse approbari. *Myns. 5. obs. 22.* nos priorem de consuetudine quæ legis instar est, veriolem esse tenebimus. *l. 33 ff. de ll.*

20. A seruitute liberat manumissio quæ est de manu, id est, potestate, datio, id est positio, missio, deiectio *l. 2. in princ. ff. de Orig. Iur. l. 4. ff. de Iust. & Iur.* & similiter ex iure gentium originem habet, vt seruitus; sicut enim icti à Scorpionibus ab eisdem remedium accipiunt, ita seruitus manans à bellis iure gentium inductis, ab eodem iure accepit manumissionem, *Forcat. ad d. l. 4. ff. de Iust. & Iur.*

21. Hæc olim libertinos, hodie ex Constitutione Iustiniani ingenuos facit; cum illis affinitatem quandam habere videntur rustici, quos Saxones à *Saissen*/id est, subditis, nuncupati *Zaissen*/id est, in prouincia relictos, vocant *Huf. in tract. de homin. propr. & seru.* qui varias dominis suis tenentur præstare operas vt habet *Coler. tractat. de process. execut.* Verum contra iniustas Dominorum exactiones, ne perpetuis angarijs & perangarijs vexentur superiores implorare possunt. *Gail 2. obs. 62. n. 12.* Si tamen rusticus dicat se aliquamdiu seruitia precario præstitisse, dominus contra iure suo se illa exegisse, rustico non domino probationem incumbere putarem cum *Daniel Muller. lib. 4. semest. c. 38.*

22. Est autem manumissio iurisdictionis voluntariæ, ideo aut ex sacris Constitutionibus, in SS. Ecclesijs, aut vindicta, aut inter amicos, aut per Epistolam, aut per testamentum, aut per aliam quamlibet vltimam voluntatem fieri potest. adeo vt ex iure nostro vndecim modi colligi possint. *Brederod. in resol. Dial. Inst. de libert. quæst. pen.* Etiam apud Legatum Pro Consul. *l. 17. ff. de Man. vind. Cuiac. 7. obs. 21.* quia ea, quæ à lege mortua (quam-

uis aliud sit, si à Principe vel lege viua dantur) mandari possunt. *Gilhaus. in arb. iud. de Iurisd. cap. 1. part. 1. n. 22.*

23. Ingenui, ab ingenio, seu naturali indole, & insita rei proprietate ita dicti, & ipso nascendi momento dum in lucem prodeunt, liberi sunt, simulque cum libertate solem respiciunt *l. 14. C. de fideicommiss. libert.* vel sunt alieni iuris, hoc est, in potestate patris, vel sui iuris *l. 1. in princ. ff. de his qui sui vel alien. iur. sunt*, quæ potestas patria quantumuis ex iure originem informem habeat, tamen formam & modificationem ex iure ciuili sumit. *S. 2. Inst. de pat. potest.* Hinc peculiare ex iure ciuili producit effectus quos ordine recenset *Paschal. in tract. de Vir. patr. potest. part. 1. c. 4.* Et causis tribus ciuilibus, iustis scilicet nuptijs, legitimatione, & adoptione constituitur.

24. In potestate igitur patria sunt liberi ex iusto matrimonio nati. *princ. Inst. de patr. potest.* etiam septimo mense completo. *l. 12. ff. de stat. hom. Dd. in l. 29. in princ. ff. de lib. & posth.* aut sub initio mensis septimi, id est, 128. die *l. 3 S. fin. ff. de suis & legit. hered.* numerando pro quolibet mense 30. dies *Myns. cent. 6. obs. 40. n. 18.* multo magis octimestris partus quamuis raro diu uiuat, legitimus est. Et arbitramur, eundem modo uiuus in orbem proferat (licet in manibus obstetricum, postquam in terram cecidit, illico expirarit) nihilominus pro nato legitimo habendum & testamentum patris agnitione posthumi rumpere, verius esse. *l. 12. quod dicitur. ff. de lib. & posth. l. 2. C. de posth. hered. instit. Gothof. ad Nou. 39.* Nullatenus vero dubitandum nono & decimo mense partum nasci perfectum, *l. 29. in princip. ff. de lib. & posth. Gædd. disp. 7. feud. thes. 3. lit. F.* cum & foetus sub medio mensis vndecimi natus, vt legitimus excusari possit *per l. quæret aliquis. ff. de V. S. Dd. in l. 29. ff. de lib. & posth. Myns. cent. 6. obs. 40. n. 16.*

25. Quid si mulier statim post obitum mariti nubat alteri; & mense nono à morte mariti pariat. Vtrinam partus tribuendus erit. Multi primo marito partum adiudicant. Alij secundo tribui malunt, Alij contra ad vtrumque pertinere contendunt, Alij Neutrius esse statuunt. Nonnulli existimant prudenter videndum, cui maritorum partus sit similior *Hænn. contr. disp. 2. thes. 5.* Nobis problema erit.

26. Insuper patriam potestatem constituit legitimitas, quæ est legitima legis actio, qua liberi naturales consentientes, vel si eius ætatis sint, vt consentire nequeant, postea id ratum habentes, legitimantur *Nou. 74. c. 1. in prin. Nou. 81 cap. 1. Palæot. in tract. de Spur. c. 1.*

27. Fitque vel primo per subsequens matrimonium etiam absque dotabilibus instrumentis *N. 117. c. 2. & 3. Diss. Vasq. illust. contr. 5. cap. 41. n. 3.* etiam de iure Canonico. *Forst. lib. 6. de success. ab intest. cap. 2. num. 7. Thess. decis. 83. num. 1.*

28. Et legitimationem hanc etiam in mortis articulo & à sene decrepito fieri posse verius est. *Gail. 2. obs. 141. n. 8. Mant. 11. de coni. vlt. vol. 13. nisi inter*

me-

medium aliquod matrimonium obstet, quam sententiam de iure ciuili *arg. l. 10. vers. ex eadem affectione Cod. de natural b. liberis. Nou. 89. c. 8. contra Forster. de success. lib. 6. c. 23 & Gabriel. de legit. conclus. 1. defendemus*, quamuis illud de iure Canonico (quod hac in materia præferendum est *cap. penult. cap. fin. de secund. nupt.*) correctum esse minimè negamus. *cap. 6. qui filij sunt legitim.*

29. Sed num ita legitimati veris legitimis & naturalibus comparentur, vt scilicet in Emphiteusi & feudis pariter succedant, quæstionis est. Affirm. *cum Gail. 2. obs. 141. n. 1 & 2. ita vt sub statuto excludente fæminas extantibus masculis comprehendantur. Gail. ibid.*

30. Quid si auus ex concubinato genuit sibi filium naturalem. Hic filius iterum ex illegitimo coitu suscitatur nepotem naturalem, moritur filius, & auus mortuo filio concubinam in vxorem ducit. Quæritur iam, Num ita legitimetur Nepos. Affirmo *cum Couarr. de matrim. pag. 2. cap. 8. § 2. Dissent. Gail. 2. obs. 141. in fin.*

31. Cui anxior accedit quæstio. Vtrum etiam in iure primogenituræ filio legitime nato præferatur naturalis antea quidem natus, sed mortua vxore legitima intermedia, per subsequens matrimonium legitimatus, Neg. *Tiraquell. quæst. 11. & 34. de primogen. Gail. 2. obs. 141. n. 3. Affirmat Vasq. de success. § 2. n. 89. Molin. de primog. lib. 2. c. 11. num. 22. Vtramque sententiam cum distinctione tuebimur.*

32. Altera legitimatio per rescriptum Principis, non nisi legitima sobole deficiente procedit; Et quidem in vita, non post mortem patris, quoad ius successionis ab intestato consequendum legitimatio fieri debet. *Gail. 2. obs. 142. n. 11. Nou. 89. c. 11. § 1. Treutl. part. 1. disp. 2. th. 7. lit. C.*

33. Item matre adhuc superstite hæc legitimatio non procedit, nisi eam in vxorem ducere non liceat, vt quia monialis facta, aut pater ad sacerdotium se contulit. *Nou. 89. c. 9. Gail. 2. obs. 142. n. 3.*

34. Et taliter legitimatos in feudis non succedere verius est, nisi in legitimationis rescripto, præcedente domini feudi, agnatorumque consensu, expresse ad feuda præsertim antiqua legitimatus fuerit. *Forst. de success. lib. 6. c. 2. quem tamen agnatorum consensum in legitimatione ad feuda noua necessarium non esse putamus. Gail. 2. obs. 142. n. 12.*

35. Item sic legitimatus sub statuto excludente fæminas extantibus masculis non comprehenditur, sed vna cum illis admittitur; *Gail. 2. obs. 141. n. 6. Nec gaudet iure prothomyseos Myns. cent. 1. obs. 35. n. 10. Concordat. reformat. Constit. ducat. Iul. Cap. Dom beschudden §. auch mögen.*

36. Hæc legitimatio fieri potest rescripto Imperatoris, beneficio Pontificis, gratia cuiusque Principis superiorem non recognoscentis, vel ab illis specialiter ad hoc delegatis, quoad successionem autem bonorum extra iurisdictionem legitimantis Principis fitorum, legitimationis rescriptum non attenditur. *Nou. 74. Cap. 2. l. fin. ff. de Iurisd. omn. iud.*


37. Spuriij adulterini & ex quocunque damnato coitu nati indultu Principis legitimari possunt, ab intestato tamen illos succedere patri, in præiudicium agnatorum *cum Fachin. 3. Contr. 62.* negamus.

38. Tertia causa patriam potestatem constituens, est adoptio, eiq; in specie contradistincta arrogatio. *l. 1. ff. de adopt.* in quarum per defuetudinem abolarum locum successit Vnio seu Variatio prolium, adoptioni similima, quæ est pactum solenne, *Dauth. de testam. mutand. potest. n. 15. Bud. de Vn. prol. cap. fin.* Consuetudini Germaniæ rationabili innixum *l. cum oportet §. 2. in fin. C. de bon qua lib. & Camerali iudicio. Gail 2. obs. 125. n. 5. & 8.* statutisque locorum specialibus receptum. *Sülfische RechtsOrdnung cap. 75. Gilman. in Symph. tom. 1. part. 3. vol. 13. n. 9.* quo parentes ad secundas nuptias transeunt. *Rick de Vnion. prol. c. 4. n. 1.* coram Magistratu ordinario. *arg. l. 1. C. de Emancip. lib. causa cognita. §. 3. Inst. de adopt. & interueniente consensu propinquorum, eorumq; quorum interest l. 2. C. de Adopt. & testibus l. fin. C. de testib. Nou. 73. c. 5.* confecto prius inuentario *Rick. de Vn. prol. cap. 6.* de hæreditate sua vel parte bonorum. *Rick. d. c. 6. n. 67.* inter diuersi matrimonij liberos *Muscul. de succes. Conuent. class. 1. memb. 3. lit. P.* ex æquo communicanda. *Rick. d. 12. c. 5. in princ.* firmiter illis prospiciunt *Muscul. cit. loc. lit. R.*

39. Naturales autem quoad patrem, (nam fecus est quoad Matrem, *Dannlein Mutter tragt einen Bastardt*) vi vnionis cum legitimis non potest succedere *Musc. cit. loc. lit. P. contra Rick.* quamuis nepotes in contractu vnionis appellatione filiorum veniant *Rick. c. 7. n. 39.* qui per prouidentiam aui ad vicissitudinariam successionem vocati in ipsa stare cogi possunt. *Musc. cit. loc.*

40. Sed quemadmodum superius relatis modis patria potestas constituitur, ita è contrario tollitur morte scil. naturali & ciuili tam patris quàm filij, §. 1. & 2. *Inst. Quib. mod. patr. & c.* Item Emancipatione filij. §. 6. *Inst. Eodem.* Episcopali, patriciatus, & Consulatus dignitate. *Auth. sed Episcopalis. C. de Episc. & Cler.* Item adoptione vtriusque. *l. arrogatio ff. de adopt.* Monachatione amborum *l. sic eueniet. ff. de adult. gloss. in l. si ex causa § penult. in verb. cum statum. ff. de Minor.* & alijs quibusdam modis. Nuptijs autem filiarum familias patriam potestatem dissolui *cum distinct. Schneid. in § sed etsi. Inst. Quibus modis patr. pot. & c.* tenemus.


41. Coronidis loco illud annotabimus. Monachum, quamuis potestatem patriam egrediatur, tamen neque testamentum facere posse, *Auth. ingressi. C. de SS. Eccles.* neque ius sunitatis amittere, sed tam ab intestato quàm ex testamento successionis commodum retinere. *l. Deo nobis §. 1. C. de Episc. & Cleric.*




X 2874408

94 A 7386

VD 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



SECUNDA,

LE PER-
M, LEGI.

PTIONE, VNIO-
modis Ius patriæ pote-
re Canonico, Ciuili
li desumpta.

AM

ente Gratiâ.

DIBVS

ltissimis Viris, ac DD.

NNO, I. V. Doctore, &
s, SS. LL. Licentiato,
tatore & Fisco.

apud Vbios Auditorio, defendet

PERTZ Iuliacensis,
die 23. Februar.



GRIPPINÆ,

nich, prope Augustinianos.

